

1688.

1. Alberti, Georg. Tobiasi: Vindicias juris civilis  
... proponet.
2. Berger, Fr. Henricus: De transmissione hereditatis
3. Berger, Fr. Henricus: De auctoritate rixae.
4. Brendel, Joh. Karpos: Justitiam principis clementia  
Temperatam ... publicae disquisitioni subijcit.
5. Duennersperg, Johannes: De politicorum aequivoca-  
tione
- 6<sup>a</sup> Ernsti, Joh. Christophor: De Eusebio episcopo Caesariensi.
- 6<sup>b</sup> Ernsti, Joh. Christophor: De Eusebio Pampoli episcopo  
Caesariensi
7. Falck, Nathanael: De eo, quod licitum est subditis  
in causa oppressae religionis
8. Heber, G. Michael: De actionis quod metus causa  
in dote peculiari
9. Hoellich Franc. Henr: Foemina non est homo. <sup>im 1672</sup> Eingebunden!
- 10<sup>a</sup> Kirchmajer
10. Kirchmajer, Georg Korper: De auro obryzo et argento  
purificato.

1688.

11. Ludovicus, Fakan Georgius: De juramento.
12. Strauss, Godofredus: Exercitatio XXVII. ad lib. II. tit. 10. 559  
599. De testamentis: Item, ad tit. 11. de militari testamento.
13. Strauss, Godofredus: De juribus Augustae competentibus  
~~13. Strauss, Godofredus: De iuris equitibus.~~
14. Neickmann, Joachimus: De iure sepulturae per doct.  
Xs. p. 10 v. amoro
15. <sup>a. b.</sup> Lügler, Konrad: De iure revocandi, quod agna-  
tis solis et iure retrahendi, quod filiis cum agna-  
tis competit 2 exempl.

1689.

1. Alberti, Georg Tobias: Deliberationes juris . . .  
publicae ~~proponunt~~ proponet. . .
2. Alberti, Georg Tobias: De iure expellendi conductorem
3. Berger, Fr. Godofredus: De polygono cordis
4. Berger, Fr. Godofredus: De animi deliquiis
5. Berger, Fr. Henricus: Ordinis iuridici Decanus  
lector . . . (orationi adense Christiani Schulzii  
iuvit)

1589.

6. Berger, Fr. Henricus: De jure ex pacto revocandi  
si vendatur
7. Brendel, Joh. Kasper: Immutabilitatem juris natu-  
ralis — publice ventilationi exponit . . .
8. Brendel, Joh. Kasper: Positiones juridicas . . . publi-  
cae disputationi proponit.
9. Brendel, Joh. Kasper: De circumstantiis actus humani  
moraliter boni.
10. Ernst, Joh. Christoph: De Eusebio episcopo Caesariensi.  
p. 2.
11. Falcke, Nathanael: Quid substitio pro dependente  
legibus fundamentalibus liceat?
12. Fleckhauer, Aug: Invictissima caritas et perspicui-  
tas sacrae scripturae et corporis juris Civis Furti-  
mianei contra attractantes adversarios.
- 13<sup>a-b</sup>. Hornius, Kasper Hiero: De jure circa rem alienam  
singularem. 2 Buntl.
14. Horn, Kasper Hiero: De feudo Franco.
15. Schurzflüster, Ludov. J.: Stricture ad historiam Herfordiae  
pertinentes.

1689.

16. Struon, Godofredus: De actionibus feudi nomine cum  
petentibus.

16<sup>a</sup> Weber, Andreas: De Tartaris.

17. Weikensmaier, Elias: De Frederico Senobarbo.

18<sup>a</sup> Litzler, Kaspar: De torturis seu quaestionibus.  
2 Exempl.

1690.

1. Albrecht, Georg Tubis: De manu regia.

2. Beckler, Dr. Jacob: Biga quaestionum historicarum.

3. Bründel, Dr. Kaspar: Fidei iuramentum.

4<sup>a, b</sup> Bründel, Dr. Kaspar: De beneficio ordinis  
fidei iurorum.

5<sup>a</sup> Heber, G. Michael: De jure opprobrii.

<sup>5<sup>b</sup> Kirckmayer</sup>  
6. Kochenreue, Christianus: Militem iurejurando

cauto sese obligationem . . . in arnam producit.

7. Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De iurisdictione auctoritatis principis consularis.

7<sup>a</sup> Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De veteri agerorum

rita.

8. Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De iurisdictione consulari

. . . edisserit

9 Schwarzfleisch, Konrad Samuel: De antiquitate ritum

salutandi per osculum publice requirendum proponit




1690


10. Schurzfleischer, Konrad Samuel: De Sirmio.

11. Straus, Godofredus: De jure liberorum in parentum  
adhuc viventium bonis.

12. Wille, Hermannus: Foetationis.







Vol. XV. n. 20.

6 33

1688

6a

DIATRIBE HISTORICA  
PRIOR,  
DE

EUSEBIO

EPISCOPO CÆSARIENSI,

*Quam*

DEO clementer fortunante,

*Amplissimaque Facultatis Philosophicæ Consensu,*

PRÆSIDE

M. JOH. CHRISTOPHORO

ERNESTI,

Keulâ - Schwartzburgico,

publicè

defendendam proponit

A. & R.

JOHANNES Gottlob Stolke.

Pirnâ Misnicus, Philos. Candid.

Ad D. . . Octobris, Anni M. DC. LXXXVIII.

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

Anno M. DC. LXXXVIII.



3. 17. 0.





Quod Jesus bene vertat!

§. I.

**V**i Antiquitatum Ecclesiasticarum monumenta curatius scrutantur, ac optimos quosvis probatosque scriptores, qui rerum in cœtu diviniore gestarum seriem convenienter delineant, Græcos pariter atque Latinos diligentius evolvunt, uno plurium *EUSEBIORUM* hinc inde fieri mentionem non ignorant. Horum proinde præcipuos breviter strictimque ante recensere animo sedet, quam de nostri Eusebii Natalibus, encomiis, scriptis, munere, Religione & mortis genere sententiam dicam; quando hoc non solum instituto meo congruit, sed ordinis maxime interest, ac perspicuitati insuper servit.

§. II. Eusebius Pamphili, Theodoritus, Socrates, Sozomenus novem Eusebios Præsules à nostro discrepantes memorant. Primum hic locum obtinet, quem Alexandria oriundum & *Laodiceæ* in Syria *Episcopum* fuisse memoriæ prodidit, ac ob studium & benignitatem in confessores in custodia positos & martyrum beatorum cadavera, commendat Eusebius Hist. Eccl. L. VII. c. XI. p. 261. & XXXII. p. 284. Editionis Valesianæ. Conferantur Centuriatores Magdeburgenses Centur. III. c. 1. IV. c. 4. Alter *Cæsareæ Cappadocum* Episcopi munia obivit, qui cum Athanasio Ancyra, Pelagio Laodiceæ, Zenone Tyri, Paulo Emesæ, Otrejo Melitina, Gregorio Nazianzi Episcopis Synodo Tyanis congregata interfuit, ac cum Basilio M. contentionem & simultatem aluit. Sozomenus H. E. L. VI. c. XII. & XV. Tertius cognomento *Emisenus* dicitur, qui Emesæ in Syria Antistitem egit; tamen enim ad capeffendam Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem ab Episcopo Coptano admoneretur, huic tamen vocationi nuncium misit, quod populus Athanasius vehementer diligere-

A 2

geret.

geret. Ut est apud Socratem H. E. L. II. c. IX. & Sozomenum L. III. c. VI. Cæterum Arianam disciplinam strenuè defendisse, uti passim ex laudatis scriptoribus, sic & inde conficitur, quod Hieronymus eum in Catalogo suo de scriptoribus Eccl. *Arianæ factionis signiferum* appellat; minimè autem Homiliarum in Evangelia ipsi passim tributarum esse auctorem, docet Vir maxime Reverendus Dn. *Job. Gottfridus Olearius* Antistes Arnstadii gravissimus, loco mox citando, ut quæ Eusebii cujusdam Latini seu Gallicani sint, nec dissentibus hoc, Baronio Bellarmino, Sixto Senensi, Labbeo. Nec in aliam opinionem discedere videtur Dallæus de Ufu Patrū p. 16. Quarto *Nicomediensis* est, quem Nicomediæ Episcopū fuisse ex Theodoretō constat, ac pariter Arii hæresin fovisse argumento est Epistola Arii ad Eusebium hunc exarata, quæ apud eundem L. I. c. V. H. E. legitur. Eò conferendi Socrates, Sozomenus & Spondanus. Quinto *Samosateni* cognomen est, qui non solum orthodoxam fidem contra Arianos egregiè asseruit, verum etiam martyrio firmavit. Videantur passim Theodoretus & Spondanus. Sextum *Vercellensem* nominant, similiterq; Arianæ sectæ hostem ac jure meritoq; martyrii titulo insignitum Theodoretus, Spondanus aliq; celebrant. Septimus *Chalcidis*, octavus *Dorilei*; nonus *Ancyre* Episcopi fuisse memorantur apud Theodoretum & Evagrium. Immo & decimi Eusebii cujusdam, qui *Constantinopoli* Episcopatum tenuit, & Eusebium Emisenum ad amplectendum Ecclesiæ Alexandrinæ regimen adhortatus est, meminit Sozomenus H. E. L. III. c. VI. p. 504, Summatim quosdam horum Eusebiorum enumerant B. Dannhauer & Christeid. Act. 2. phæn. 8. *B. Bebelius* Antiquit. Eccl. Sec. IV. To. I. & laudatus *Olearius* in Abaco Patrologico, quos in hanc rem inspicere convenit.

§. III. Ex quo igitur varios Episcopos, quibus, Eusebii nomen est, ex compluribus auctoribus decenti juxta atq; justo recensuimus ordine, in offenso pede ad nostrū *Eusebium* convertimur, de quo in præsens commentari certum est. Ante omnia verò perquirendi Eusebii *Natales* sunt, qui cum Patriam ostendunt, tum genū aliaq; declarant. *Cæsareā* oriundū esse neminem An-



Antiquitatum Ecclesiasticarum peritum fugit, id enim gravissimorum scriptorum autoritate dudum comprobatum est, & nominatim Hieronymus in Catalogo, & omnes, qui scriptorum Ecclesiasticorum elogio contexuerunt, uno veluti ore ac consilio testantur. Unde etiam *Cesariensis* audit. Licet enim ab Episcopatu, quem in urbe illa regebat, cognomen hoc adipisci potuit, vero tamen similis videtur Valefio, quod modo asseruimus, in quam rem & non condemnandas affert rationes. *Cesarea*, in quam, *Palæstina*, quam ab Herode M. rege conditam testantur Josephus de Bello Judaico L. I. c. 16. & Plinius Histor. Natural. L. V. c. 13. confer. Heidmannus in Palæstina, ad honorem Octaviani principis, narrante Ammiano Marcelino L. XIV. p. m. 1427. Quo nomine à quibusvis aliis urbibus, quæ hoc nomine gaudent, diversam esse liquet. Ita videlicet urbes, quæ uno efferuntur vocabulo, adjectis terminis ab iis, qui curam diligentiamque in Geographia & Historia adhibent, definiuntur, ut pro eo, ac par est, invicem discerni possint, veluti hoc *Albarum* & *Justinianarum* exemplis compertum est. Diversa omnino est à *Cesarea Phœnicie*. Philostorgius eam quidem ad extremos Palæstinæ fines, postquam Phœnicia excipit, sitam esse, & hunc ultimum fuisse Judææ Phœniciam versus terminum scribit. Sed tamen Strabo, Ptolemæus, Eusebius L. VII. c. 17. Sozomenus L. V. c. 20. & Stephanus de urbibus disertè, Phœnicie adscribunt. Huic fons Paneas cognomen dedisse perhibetur apud Plinium l. c. primò *Dan* vocata, ut est apud Philostorgium L. VII. c. 3. p. 503. Inde *Cæsarea Philippi* dicta est, ut Josephus L. XX. Antiquit. Judaic. c. 8. (ubi & *Neronæam* aliquando nominatâ affirmat) Eusebius H. E. L. VII. c. 17. Sozomenus L. V. c. 20. & Heidmannus l. c. p. 178. sq. scriptum reliquerunt. Quod ideò factum vero est consentaneum, quando eam Philippus Herodis M. filius exadificasse apud Josephum de B. I. L. II. c. 13. legitur. Unde perspicitur, Philostorgium vehementer lapsum esse, si eam confundens cum *Cæsarea Palæstinæ* ab Herode M. extructâ sibi persuasum haberet, quod ob causam nescio quam Jac. Gothofredus Dissert. ad Philostorg. L. VII. c. 3. p. 272. arbitratur. Tum & *Paneas* appellata, & junctis vocibus Ptolemæo *καίσαρηα πανίας*

A ¶

& in

& in Itinerario Peutingeri Cæsarea Paneas. Cujus etiam meminisse Eusebium H. E. L. VII. c. 18. recordor, ubi & αἰμορροῦσαν, mulierem ex sanguinis profluvio laborantem, quam in Sacris literis à Servatore nostro curatam discimus, originem ex hac urbe duxisse, inq; honorem Christi servatoris statuam ex metallo confectam in urbe hâc erexisse, tradi scribit. Multò magis ab Eusebii patria discrepat *Cæsarea Cappadocia*, ante hac Maza, & Mazaca nominata, & sub Argei montis radicibus sita, urbs opportunitate loci admodum celebris. Quo legendi Plinius l. c. i. L. VI. c. 3. Ammianus Marcellinus L. XX. Pomponius Lætus in Gallo, & Jacobus Gothofredus ad Philostorgii Lib. IX. c. 12. Quod discrimen Cautè observandum est, nisi Eusebium nostrum cum Eusebio Episcopo hujus Cæsareæ Cappadocia confundere velimus. Quibus monitis jam addo, quod, Eusebium Cæsareæ *Palestina* natales debuisse, argumento sit, quoniam à Veteribus tantum non omnibus *Palaestinus* vocetur. Ita certè Basilus loco §. V. citato, Theodoretus, Evagrius aliiq; eum salutant. Hinc Codex MS. Hist. Eccl. Eusebiana Mazarina & Fucketiana habent Εὐσεβίῳ τῆ παλαιστίνῃ, & Medicus Εὐσεβίῳ τῆ παλαιστίνῃ καὶ παμφίλῳ. Quorsum evolvatur Valesius sub principium Annot. ad Eusebii H. E.

§. IV. Equidem *Parentes*, quibus susceptus fuit Eusebius, nos ignorare non difficulter fatemur; quod enim Nicephorus Callistus de sorore Pamphili martyris Eusebii matrem, affert, illud tantum abest, ut fidem mereatur, quin vanissimus, futilissimus ac fabulosissimus scriptor universo antiquiorum silentio refellatur. Quà in re suffragatur mihi Valesius, qui Dissert. de Vita & scriptis Eusebii expresse tradit in hanc sententiam: Certè Eusebius qui tot locis Pamphilum nominat, cujusq; amicitia tantopere gloriatur, nunquàm tamen propinquum aut affinem suum vocat. Immo verò ex ipsius Eusebii testimonio manifestè conficitur, Pamphilum Martyrem Eusebii propinquum non fuisse. Nam in fine Libri VII. Histor. Ecclesiastica, ubi de Agapio Ecclesia Casariensis Episcopo verba facit, ita loquitur: Hujus tempore Pamphilum virum disertissimum, vitaq; & operibus vere philosophantem cognovimus; in eadem Ecclesia presbyteri honore decoratum. Cùm igitur Eusebius ipse testetur, à se tunc  
pri-

primum cognitū esse Pamphilū, satis apparet, nulla necessitudine aut affi-  
nitate eos inter se conjunctos fuisse. Non minus vapularent, imō  
prorsus absurdi essent, qui ipsum Pamphilum Eusebii Genito-  
rem propterea putare vellent, quod se Eusebium Pamphili, (q. d.  
Pamphili filium) nominet; enim v. plane aliam hujus cogno-  
menti causam mox audiemus. Quicquid sit, non prorsus tamen  
nostram fugiunt memoriam ejus Præceptores, qui ipsum, qua  
via & ratione sancto vitæ generi opera danda, ac sacrarū rerum  
cognitio comparanda, edocuerunt. Quos inter *Dorotheum Eu-*  
*nuchum* Antiochensis Ecclesiæ prsbyterum fuisse ex libro VII.  
c. 32. H. E. Eusebianæ apparet. Inde nec ipse Valesius ei, qui ex hoc  
Eusebii loco cum Trithemio velit colligere, Eusebium Dorothei  
fuisse discipulum, se magnopere esse repugnaturum polli-  
cetur loc. cit. *Pamphilo* insuper doctore ( quem Presbyterum  
Cæsariensem & martyrii coronam adeptum fuisse ex Eusebii H.  
E. L. VI. c. 32. Hieronymo, aliisq; patet ) usum esse non desunt,  
qui asserunt. Auctor sane Lib. II. Compendii Historiæ Ecclesiasti-  
cæ Gothani ( sive is Boeclerus sive Artopavus sit, perinde est ) ne-  
scio quem auctorem, vel Eusebii locum sequutus, id existi-  
masse videtur, dum p. 278. hac de re ita differit: *subnectit* ( Euse-  
bii ) *etiam Pamphili Presbyteri Cæsariensis & martyris elegia: in cu-*  
*jus NB. schola ipse institutus erat, & quem tantopere admiratus est, ut*  
*non solum de ejus vita & martyrio peculiarem commentarium conscripse-*  
*rit, qui non amplius extat; sed & nomen ejus sibi adscriberit, EUSEBIUM*  
*PAMPHILI seipsum appellans.* Quam sententiam fortassis, ex eo  
capite amplexus est, quod hinc inde & aliquoties ipsum se au-  
divisse dicat. Et si vel maximè Pamphili discipulus non fu-  
erit, quam quidem opinionem meam non faciam, illud certis-  
simè constat, eum cum Pamphilo arctissimam & conjunctis-  
simam coluisse amicitiam, ejusq; individuum comitem ad mor-  
tem usq; permansisse inde liquet, quod non tantum post obi-  
tum ipsiq; identidem de illo amantissimè & honestissime loqvutus  
est, verum etiam libros tres de ejus vita & martyrio confe-  
cit. Hūc inspiciantur Centuriatores Magdeb. Centur. III. c. 10.  
& Valesius l. c.

§ V

§. V. Cæterum fuit Eusebius scriptor seculi Quarti,  
 quo Constantinus M. Romanorū Imperatorū primus, qui Chri-  
 sti disciplinam sequutus, ritus Christianorum amplexus & sacro  
 fonte ablutus est, fasces imperii tenebat, valde egregius & au-  
 thoritæ ac fide præstantissimus, nec minoris doctrinæ ac in-  
 dustriæ, quod una mente & animo auctores testatum faciunt,  
 & firmant præclara ejus scripta, quæ provida majorum cura &  
 custodia ab interitu vindicata sunt, ac etiamnum typis expressa  
 comparantur. Ac quod quidem auctores spectat, ab iis variis  
*Elogiis* & laude plenis nominibus ornatum legimus. Sigillatim Ba-  
 filio M. in libro ad Amphilochoiū de Spiritu S. c. XXIX. honorifi-  
 cè ejus meminit, quando ita loquitur: *Ἐὶ δὲ τῷ καὶ ὁ παλαισινὸς Εὐ-  
 σέβιος ἀξιόπιστος διὰ πολυπειρίαν κακεῖνος τὰ αὐτῶν φωνὰς ἐπιδείκνυμεν  
 ἐν τοῖς ἐπισημασίαι περὶ τῆς τῶν ἀρχαίων πολυγαμίας. Id est. Quod si  
 cui Palestinus Eusebius propter multarum rerum peritiam idoneus vide-  
 tur, cui habeatur fides, illius quoque easdem voces ostendimus in qua-  
 stionibus de priscorum Polygamia. Hieronymus in scripturis divinis  
 studiosissimū & Bibliotheca divina cum Pamphilo martyre diligentissimū  
 per vestigatorem in Catalogo suo salutat. Evagrius eum pro cœmio Hi-  
 storia Ecclesiastica hunc in modum laudat: ΕΥΣΕΒΙῶ τῷ ΠΑΜΦΙΛῶ,  
 αὐτῆ δὲ ἰστῆ μάλιστα λόγιῳ ὁ ΠΑΜΦΙΛῶς τὰ τε ἀγαθὰ, καὶ ὡς περὶ θείων οἰοῦ-  
 σαι εἶναι τὰς ἐντυχάνοντάς θρησκείαν τὰ ἡμέτερον, εἰ καὶ μηδὲν ἀκρίβει-  
 οῦ ποιεῖν. & c. Eusebio Pamphili, Vir cum in aliis rebus differtissimus, et in scri-  
 bendo tantum valens, ut possit lectores suos, si non perfecte orthodoxos ef-  
 ficere, ita tamen impellere, ut nostra libenter amplectantur & c. Πλυ-  
 μαθῆ καὶ πλούσιος, i. e. varia instructū eruditione ac multiscii appellat  
 Cedrenus. Centuriatores Magdeburgenses, quando Vincentiū &  
 Bergomensem, Claudio Gallienū sequuto, in Christianos vexati-  
 onem tribuentes, argumento ab Eusebii silentio depromto refel-  
 lunt, his Eusebium verbis commendant: nos, si qua sub Claudio  
 persecutio fuisset, eam non præteriturum Eusebium, diligentissimum  
 eorum temporum Scriptorem, fuisse judicamus. Centur. III. cap. 3.  
 Quibus non possum non jungere Johannis Harti encomium,  
 quo Eusebium exornat in Colloquio Rainoldi cum ipso cap. VI,  
 p. 402. Omnium, inquit, ille optimus, antiquissimusque existit. *Histo-**

7100-

ricorum, qui ullam in contexendis Ecclesie Christi annalibus operam  
posuere. Et sane labor ille, illa diligentia, variaque lectio, iudiciumque  
quæ in Chronicis suis exhibuit; magna fuere & admiranda. Adeo,  
ut Cano Loc. Theol. L. II. c. 6. persuasum sit, non quenquam alium inter  
Ecclesie Latinos, siue Græcos autores, præstantiora nobis potuisse tem-  
porum monumenta relinquere. Hinc eum Parentem Historie Eccle-  
siasticæ existimat Valesius in Præfatione ad Lectorem Socrati &  
Sozomeno præmissa, & alibi Conditorem ejus vocat. Neque à  
vero aberrat laudatissimus Vir, quandoquidem tribus primis à  
N. C. seculis neminem inuenias, qui rerum in Ecclesia gestarum  
seriem in uniuersum scripto reliquerit, si pauca fragmenta He-  
gesippi ab Eusebio asservata exceperis. Cujus rei hæc fu-  
isse videtur ratio, quòd primi disciplina Christianæ sectatores  
in pietatis exercitio magis, quam scribendi genere occuparen-  
tur. Et si qui sunt, qui animum ad hoc eruditionis genus ap-  
pulerunt, ii de Historia Ecclesiastica potius cogitasse, quam ad  
eam spartam ornandam seriò se accinxisse censendi sunt. In  
quam rem ipse Eusebius merito adduci potest, sub initium Hi-  
storiæ Eccl. L. I. cap. I. ita scribens: *ἔπειτα καὶ πρῶτοι νῦν τῆς ὑποθέσεως*  
*ἄπλοοι, διὰ πᾶσα ἐρήμην καὶ ἀτελεῖαν ἵεναι ὁδὸν ἐγχειρήσομεν.* id est,  
Primi enim hoc argumentum aggressi, novam quandam, nullisque ad-  
huc vestigiis tritam viam incedere nunc tentamus: & aliquos inter-  
jectis commatis sic pergit: *ἀναγκασιότατα δέ μοι μηδένα πῶς εἰς δεῦρο*  
*τῶν ἐκκλησιαστικῶν συγγραφέων διέγνωσα πρὸς τὸ τῆς γεγραμμένης πεποι-*  
*ημένον τὸ μέρος.* hoc est. Caterum necessitate quadam compulsus  
hunc laborem suscepisse mihi videor, propterea, quod ex Ecclesiasticis  
Scriptoribus neminem, qui in hoc descriptionis genere elaborasset, hæcenus  
deprehendi. Ut taceam quantopere ipse Constantinus M. au-  
gustissimus Imperator Eusebium ob eruditionem suam celebra-  
verit, illud tantum addam, hanc Eusebio laudem gloriamve  
nec ipsos Pontificios detrahere, qui tamen alias ab ipso alienio-  
res existunt; quod Baronii & Philippi Labbei exemplo confir-  
matur; quorum iste, utut eum ubique ferè suggillet, & quavis  
oblata occasione, carpere studiosè conetur; ejus tamen diligen-  
tiam & fidem, in scribenda Historia inter alia Annal. Tom. 3. an.

B

340. Sect.

340. Sect. 41. hoc elogio commendat: *Quod rerum Ecclesiasticarum tam multa antiqua monumenta magno labore collecta, scribendo Historiam usque ad sua tempora fideliter posteris tradiderit, terque quaterque felix tot peregregiis lucubrationibus editis, &c.* Hic autem ipsum librorum omnis generis diligentissimum peruestigatorem πολυμαθέστατον καὶ πολυγεγραμμένωτατον nuncupat. Dissert. de Scrip-  
toribus Eccl. Tom. 1. pag. 301.

§. VI. Quod Patres laudati Virique celebres verbis, istud *Scripta* Eusebii reipsa ostendunt, utpote quæ immensam le-  
ctionem, proinde & stupendam summamque eruditionem,  
spirant. Quamobrem hæc etiam, ne promissi fides violetur,  
ordinisque ratio insuper habeatur, paulò latius persequi statu-  
tum habeo. Quum autem Hieronymus fateatur, infinita esse  
volumina, quæ Eusebius ediderit, patet, operæ esse pretium,  
ut primo paucis ea, quæ dudum perierunt, de hinc illa, quæ ho-  
dientum superant, ex instituto recenseam.

§. VII. Non pauca intercidisse Eusebii Scripta vel tem-  
poris, quod omnia absomit, injuria, vel hominum in abo-  
lendis, quæ ad palatum non sapiebant, audacium fraude, super-  
stitium numerus certiores nos reddit. Cum primis autem inter-  
ciderunt *Libri XXX. contra Porphyrium* adornati: de quibus vi-  
ginti tantum ad se pervenisse jam suo tempore scripsit Hierony-  
mus in Catalogo. *Commentarii in omnes Psalmos*: quos Euse-  
bium Vercellensem Episcopum supra §. 2. laudatum, relictis  
nonnullis, quæ à puriori docendi genere discedere videbantur,  
latinos occidentali Ecclesiæ legendos exhibuisse Sixtus Senen-  
sis auctor est *Bibliotheca Sanctæ* L. 4. p. 284. *Libri commentariorum in*  
*Esaiam*: quorum S. Hieronymus nunc *quindecim* in Præfatione  
primi Commentarii in Esaiam, nunc *decem* in Catalogo de Viris  
illustribus, numerat. *Opus de Evangeliorum diaphonia s. dissonan-*  
*tia*: in quo eum omnes locos Evangeliorum, qui pugnae colo-  
rem habere videntur, ad firmam reduxisse concordiam asserit.  
Sixtus Senensis l. c. Cujus operis fragmentum de controversiâ  
super tempore Dominicæ resurrectionis inter Matthæum & Mar-  
cum latinè vertisse Ambrosium Mediolanensem, monachum,  
Casti-

Casinatem, ibidem affirmat. Num vero typis expressum unquam fuerit, non commemorat. *In Epistolam primam ad Corinthios Commentaria*: quorum pariter Hieronymus meminit in epistola quâdam ad Pammachium, quæ *Christiani pudoris* incipit. Nec amplius extare putantur. Eiusdem interpretatio græca omnium librorum Veteris instrumenti, qui in Canone Ebraeorum sunt: cuius Socratem & Sozomenum recordari compertum habeo. Liber de *priscis Martyribus*, quorum passiones collegit, ab ipso Eusebio L. IV. c. 15. H. E. p. 135. allegatus: quem tamen in Bibliotheca Scoriacensi græcè reperiri, se audivisse dicit Labbeus Dissert. cit. Tom. 1. p. 302. Utrum verò hic de martyribus liber ab eo, qui in Editione Valesiana Librum VIII. Histor. Eccles. Eusebianæ sequitur, diversus sit, merito dubitari potest. De *Vitâ Pampbili*; quem Eusebius, dum in texendo Origenis librorum indice occupatur, his adducit verbis: *Verum quid attinet hoc loco omnium hujus Viri librorum accuratum indicem texere, cum id proprium opus desideret: jamque à nobis præstitum sit in libro, Ἐπὶ τῆς τῆ Πάμφιλιας βίης τῆ κατ' ἡμᾶς ἱερῆς μαρτυρίας ἀναγεγραφήσ' quem de Pampbili, qui vestra ætate Presbyter idem ac Martyr fuit, vitâ conscripsimus.* H. E. L. VI. c. 32. p. 231. Inter deperdita quoque referuntur *Libri Sex ἀπολογίας pro Origine*; Cujus Apologiae similiter Eusebius mentionem fecit Lib. VI. c. 23. p. 224. Diversas hic tibias inflare videntur Valesius & Bellarminus: ille enim *Dissert. de Vita & Scriptis Eusebii* arbitratur, quinque horum defensionis Origenis librorum Eusebium unâ cum Pampphilo in carcere elaborasse: sextum verò & ultimum ejus operis librum mortuo demum absolvisse Pampphilo. Hic verò in solidum Eusebio vendicat, quando *Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* p. 55. hæc verba habet: *Scriptis præterea Eusebius sub nomine S. Pampphili martyris Apologiam pro Origene: quamvis enim S. Hieronymus in libro de Script. Eccl. in Pampphilo testatus sit, à Sancto Pampphilo scriptam fuisse Apologiam pro Origene; tamen idem S. Hieronymus L. 2. in Rufinum, se postea comperisse dicit, Apologiam illam esse partem Apologiae Eusebii pro eodem Origene, cui Rufinus mutaverat titulum, & hoc ipsum probat testimonio Eusebii, qui Sanctum Pampphilum nihil scripsisse asseruit præter epistolas aliquot.* Quicquid

hujus rei fit, Valefio assentiri videtur Photius, qui in *Bibliotheca* c. 118. p. 160. Editionis Hæschel. totum illud opus Confessoribus in metallis Palæstinæ degentibus Eusebium & Pamphilum dedicasse, perhibet. Item *Liber de doctrina priscorum Virorum*: in quo innumerabilia, dicente Sixto Senensi, de veterum Patriarcharum vita, fortitudine, pietate, prudentia nunc historice, nunc allegoricè & tropologicè interpretatus est. *Libri de temporibus, ac questionum & responsionum*, quorum Eusebius passim in libris suis de Præparatione Evangelica mentionem injecit. Pari modo periisse *Descriptionem Basilicæ Hierosolymitanæ, & donariorum, quæ illic servata fuerant*, quæ brevi libello comprehensam, Constantino Principi nuncupaverat, & cum Oratione Tricennali ad calcem librorum de Vita Constantini M. subjecerat, quemadmodum ex c. 47. Lib. IV. de Vita Constantini M. liquet, Henricus Valefius l. c. memoriæ prodidit. Sive autem hæc temporum injuria vel hominum negligentia intercederint, sive etiam malevolorum dolo ac fraude abolita sint, jacturam nihilominus fecimus non exiguam, quam proinde ceu fortunam magnam jam pridem eruditi conqvesti sunt.

§. VIII. Eximia tamen ac præstantiora eruditionis Eusebianæ monumenta perennarunt ac passim impressa extant. Ut ne autem ea, quæ dubiæ & incertæ fidei sunt, cum genuinis & germanis Eusebii scriptis confundamus, hæc peculiari capite complectemur. Inter genuina familiam ducit *Historia Ecclesiastica*; cujus rei causam ex §. V. repetere possumus. Hæc, postquam à Christo exorsus, ejus natales, ministerium, mortem ac in cælos ascensum exposuit, diligentissimè enarrat: quænam cætus Christiani post Christi Servatoris nostri ascensum facies ac primordia fuerint: quorum operam doctrinæ sonus divinius in universum terrarum orbem penetraverit: quæ sanctorum Apostolorum certamina, qui successores, & præcipuarum Ecclesiarum, Antistites fuerint: qui Principes nutricii Ecclesiæ, qui hostes & vexatores extiterint, & qui vita eorum exitus. Quæ omnia Eusebius X. libris complexus, historiæ seriem usq; ad tempora Constantini M. h. e. 325. deduxit. Quid autem speciatim quovis libro libriq; capite persequutus sit, proluxa ἀναλύσει demonstravit Abrahamus



hamus Scultetus in *Medulla Theologiae Patrum* Parte III. à pag. 85. usque ad 124. ad quem proinde lectorem in presenti, ubi nobis breviores ducendæ lineæ, amandasse sufficiat. Græcæ Editiones duæ tantum prodierunt, Parisiis altera, altera Genevæ: quarum istam Robertus Stephanus anno M.D.XLIV. juris publici fecit; hæc verò in græco textu editionem Roberti Stephani ubiq; exprimit, nisi quod varias lectiones & emendationes ad latus adjectas ex Doctorum Virorum Codicibus habeat. Quatuor vero, quod sciam, nacta est Eusebii Historia Latinos interpretes. Primus est Ruffinus Aquilegiensis Ecclesiæ presbyter, qui tanta licentia Eusebiū latine interpretatus est, ut nonnullis additis, nonnullisq; detractis op9 haud leviter immutarit. Quin integrum librum ultimum, censente Calixto in *Apparatu Th.* p. 182. decimum videlicet præterit: sed Labbeo iudice in libros novem saltem contraxit, duobus insuper de suo libris, qui in Theodosio M. finiunt adjectis. Dissert. *de Script Eccl.* To. I. p. 305 Confer. Bellarminus *de Script. Eccles.* p. 90. Qui pessimus interpretandi modus Eusebio nostro, nisi perennasset græcus textus, multum gloriæ detracturus erat, quemadmodum Origenis laudes valde obscuratas videmus, quod infelicem imperitumqve hunc Ruffinum adeptus est interpretem, deperditā meliori Hieronymi interpretatione. Alter Wolfgangus Musculus est, qui licet verbis Eusebii pressius adhæret, & interpretando brevis est atqve perspicuus, multisq; in locis Christophorus Anglo Cisterciensi Episcopo, tertio Eusebii interprete felicior, suos tamen navos habere Valesius in Præfat. ad Hist. Eccl. Eusebii ostendit. Quamquam autem hic Musculo, ut idem Valesius opinatur, diligentior doctiorq; sit, ac numerosior incedat, usus etiam MStis exemplaribus in conficienda sua interpretatione, ejus tamen in translatione temeritatem Dorscheum Exercitat. ad diatyp. Concilii Nic. pag. 4. notasse memini. Quartus deniq; Henricus Valesius Jctus Parisinus est, qui omnes hæctenus enumeratos interpretando vicit. Ex quo enim hic vidisset adductorum interpretum Versiones ob crebros errores ac *παρερμηνείας* nequamquam satisfacisse doctorum Virorum desiderio, novam quandam

molitus est, eamq; nitidissime & tersissimè unà cum græco textu  
luci publicæ exposuit Parisiis anno M.DC.LXX. ac recuderunt  
Francofurtenses, etsi titulus Moguntiam præfert, annis duobus  
post. Quo verò magis laudandus Valefius, quod usus Editio-  
ne R. Stephani (cujus diversa doctissimorum trium Virorum,  
Hadriani scilicet Turnebi, Vulcobii & Henrici Savilii, qui ad oram  
manu sua varias lectiones & emendationes adnotaverant, ex-  
emplaria habuit) Græcum contextum variis in locis, quatuor opti-  
mis MSS. Codicibus, Regio, Medicæo, Mazarinæo, & Fucketi-  
ano, collatis, emendavit, restituitq; ac memorabilibus annotati-  
onibus illustravit. De Germanica Eusebii Editione, quam anni-  
tente Caspare Hedione Theologo Argentoratensi produsse in-  
lucem ex Sculteto l.c.p.6. recordor, cum digniora superent, nihil  
afferre in me licet receperim, illud tamen silentio præterire non  
potui, quod laudat Theologus ex hac editione nonnulla, quæ fidè  
historicam non merebantur, excerpserit, & à corpore reliquo se-  
jūxerit. Jam quod *ἡ ἱστορία τῆς ἐκκλησιαστικῆς* Historia Eusebii Ecclesiasticæ spectat,  
hanc nemo, quantum mihi quidem cognitum est, prorsus in dubiū  
vocat, nisi quod Baronius exiguam partem ejus Libri scilicet IX.  
Caput VI. De iis, qui eo tempore martyrium subierunt, *non Eu-  
sebio, sed alterius potius auctoris additamentum esse* pronunciet Annal.  
Tom.III. ad Annum Christi 311. Sect. 48. 49. Ubi opinionis suæ  
hanc rationem præterdit: quia alioqui *Eusebius sibi contrarius es-  
set, qui Libro VIII. c.25.* (Editionis quæ Baronius usus est, in Vale-  
fiana enim Libro VII. c.32. p.290. habetur) testatus est, *Petrum A-  
lexandrinum nono persecutionis anno sub Diocletiano excitatæ, passum  
esse, duodecimque tantum annos sedisse, eorumque tres ante persecutio-  
nem in pace transegisse. Quod si dixerimus ipsum sub Maximo hoc an-  
no esse necatum, Eusebium sibi in omnibus adversantem constituemus. Ad-  
dit, persecutionem per Maximinum restitutam nequaquam usque ad san-  
guinem esse progressam. Quæ Christophorus ita conciliare pu-  
tavit: Quamquam hi Martyres, annotat, nempe Sylvanus Emese, Pe-  
trus Alexandrina Episcopi, & Lucianus Antiochia Presbyter, ab Euse-  
bio inter reliquos Martyres numerati sint uti supra, propterea quod illi  
propositum erat in eo lib. omnia Martyria recensere; tñ intelligendum est  
sub Jovio Maximo mortem oppetivisse. De quibus, quia non sunt  
adeo*

adeo magni momenti, cum Riveto Crit. Sacr. L. III. c. 2. meam sententiam interponere nolo, illud tantum additurus, quod Baronio Annal. To. 3. ad ann. Christi 340. sect. 41. Eusebium rerum Ecclesiasticarum antiqua monumenta, scribendo Historiam usq; ad sua tempora fideliter posteris tradidisse, scribat. Cæterum nos hic loci non de eo controvertim9, utrum omnes Eusebii narrationes, quas ipsius Historia Ecclesiastica complectitur, dignæ, quibus fides habeatur, nulla autem apocrypha, h. e. commentitia appellanda; sed de eo, num omnes Eusebium auctorem agnoscant? Illius namq; negativam, hujus verò affirmativam meritò tuemur sententiam. Enimvero ultrò largimur Gelasio, *Epistolam Jesu ad Abgarum*, quæ Libro 1. c. 13. habetur, esse apocrypham h. e. commentitiam fatemurq; cum Rainoldo *Censura Librorum Apocryphorum* To. 1. pag. 130 4. Eusebium in eo omnino deceptum esse, quod huic Epistolæ fidem præbuit. Propterea tamen minus prudenter & recte *Historiam Eusebii Pamphili apocrypham* Gelasium apud Gratianum *Can. Sancta Romana* dist. 15. vocavisse, asserimus. Ut ut enim eo consilio hæc Gelasium non dixisse affirmet Melchior Canus apud Rainoldum & Rivetum locis citatis, quasi universam Historiam apocrypham putarit; limitare tamen suam orationem debuerat, ne auctoritate ej9 (quæ tanta, dicente Degoreo Whear Relect. Hiemal. Baronio est, cui nemo refragari possit) multi deinceps freti Historiæ Eusebianæ omnem fidem derogarent, quod unò plures incautos fecisse cognitum perspectumq; habent Eruditi.

§. IX. Secundū ab Historia Ecclesiastica locum inter scripta Eusebii genuina vendicare de industria volui *Libris Quatuor*, quos *de vita Constantini Imperatoris* composuit, quod illos Historiæ Ecclesiasticæ una cum *Oratione Constantini, quam sanctorum cœtui* inscripsit, & *Oratione Eusebii de laudibus Constantini*, Editores Eusebii jungere consueverunt, ceu nuper quoq; ab Henr. Valesio in castigatissima sua Editione factū est. In interpretandis his IV. libris eruditissim9 Vir non minori industria usus est, quam in Historia Ecclesiastica. Proinde etiam non minus ipsum in hoc, quam in præcedenti §. laude dignum esse censemus, præsertim quū & hos de vita Constantini libros cum aliquot rariorib9 Codicib9 MSSis contulerit, ac notis edecumatis optimisq; instruxerit. Quinam illi Codices sint, partim ex Annotationib9 illis liquet, par-

partim disertis in Præfatione verbis docetur. Mirari autem subit, Jacobum Gothofredum Virum cætera doctissimum, dubitavisse, Eusebium Vitæ hujus Constantini esse auctorem, (quod inde conficitur, quoniam in citando hoc opere Eusebium nunquam nominat, sed perpetuo hæc phrasi, *apud auctorem Vitæ Constantini comperio, vel auctor vitæ*, utitur in Dissertat. ad Philostorgiũ in primis l. II. c. 18) Hoc enim ipsi vel ex Socratis Scholastici l. I. c. 1. Hermiæ Sozomeni l. I. c. 3. & Photii Patriarchæ CPTani Bibliothecæ cap. 127. p. 163. constare potuit. Quorsum omnino conferendus Excellentissimus Scurzleischius, Doctor noster omnibus encomiis major, in *Antiquitatibus primi Christianorum Imperatoris* §. 16. Illud verò nos ipsi inficiamur, titulos summariaque Capitum ab Eusebio esse confecta, & sequiori ævo ad librorum capita accessisse existimamus. In quam sententiam nos induxit laudatissimus Polyhistor. l. c. Nec aliter sentit Valesius, cujus verba non immerito ex Annotationibus in indicem Capitũ libri I. de Vitâ Constant. p. 199. huc citamus: *In adnotationibus, inquit, ad Historiam Ecclesiasticam, observavi titulos capitum qui singulis libris præfixi leguntur; ab ipso Eusebio esse compositos. Idque argumentis meo quidem iudicio certissimis comprobavi. Verum in his de Vita Constantini libris aliter se res habet. Neque enim ab ipso Eusebio confecta sunt indices horum librorum, sed ab alio longè recentiore. Id autem conjicio, tum ex eo quod indices horum Capitulorum insulsi ferè sunt ac barbari; tum quod de Eusebio semper loquuntur in tertia personâ; Cum tamen in titulis capitum Ecclesiasticæ historiæ seipsum Eusebius in prima personâ nominet. Adde quod distinctiones capitum nimis crebræ ac frequentes sunt; quodque una interdum Imp. Epistola & Constitutio, plura in capita dividitur & quasi discerpitur. Quæ res inter legendum sæpè fastidium & nauseam lectori parere solet. Taceo quod voces ac dictiones barbaræ non semel occurrunt in his indicibus. Nam Ἐπαλάπιον, Ἐκόμητες, Ἐνοτιέριον, Ἐαυγέριον aliquoties in iis legas. Quæ quidem omnia in hanc me sententiam impellunt, ut horum capitulorum auctorem quævis potius alium esse quàm Eusebium credam. Quod tamen nequaquam prohibet, quo minus Eusebiũ hujus operis auctorem statuamus, quoniam tituli ipsum opus non constituunt. Pari modo nobis persuaderi non patimur, Eusebium à nobis sub initium hujus §. adducti Panegyrici, cujus ipse de Vita Constantini l. I. c. 1. & l. IV. c. 46. meminit, non esse germanum genuinumque auctorem.*

Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle 3  
003 731 693




f

56.

1017





Vol. XV. n. 20.

6, 33

1688

6a

DIATRIBE HISTORICA  
PRIOR,  
DE  
**EUSEBIO**  
EPISCOPO CÆSARIENSI,

*Quam*  
DEO clementer fortunante,  
*Amplissimaque Facultatis Philosophica Consensu,*

PRÆSIDE

**M. JOH. CHRISTOPHORO**  
**ERNESTI,**  
Keulâ - Schwartzburgico,

publicè  
defendendam proponit

A. & R.

**JOHANNES Gottlob Stolke.**

Pirnâ Misnicus, Philos. Candid.

*Ad D. . . Octobris, Anni M. DC. LXXXVIII.*

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.

Anno M.DC.LXXXVIII.

